



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 118. Quid reipsa sit acceptatio promissionis & quandonam poni debeat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

num commercium. Alii contradicunt, quia omnis obligatio etiam fidelitatis videtur esse debere à promittente, ergo si absit ejus consensus, non erit obligatio. De veracitate videtur esse disparitas, nam externè affirmans sine animo affirmandi exercitè dicit se affirmare, & habet intentionem hoc dicendi, cùm tamen non affirmet, ergo mentitur; nihil tale est de fidelitate respectu obligationis aut facti præstandi.

Q. 118. *Quid re ipsa sit acceptatio promissionis & 778*  
 quandonam poni debeat. R. §. 1. Acceptatio est actus, quo promissarius admittit voluntatem promittentis, & ideo vult jus contra eum: Malè autem explicatur à *Caramuele* per illa verba, recipiam cras equum, si dederis, nam hæc tantum est affirmatio donationis cras futuræ & non obligationis dandi, quàm tamen promittens assumit, alioquin etiam dicam ex promissione sponsi acceptata non resultare obligationem, quia sponsa tantum dicet, accipiam dominium tui corporis, si dederis, sic autem dominium corporis semper maneret sub libera potestate sponsi, quod est contra naturam promissionis Matrimonii. Videri potest *Carden.* in 1. crisi d. 69. c. 3.

§. 2. Acceptatio promissionis poni debet post 779  
 notitiam factæ ab altero promissionis, si enim sufficeret præcedere aut poni sine notitia promissionis, jam vi voluntatis, quâ nunc vellem acquirere, quidquid mihi offeretur, sufficienter acceptarem, quidquid mihi aliquis unquam promittet, adeoque licet nihil rescirem de promissione, nemo posset eam revocare, quia sufficienter acceptassem. Rationem à priori dat *Lugo* d. 23.

n. 67.

n. 67., quia quamdiu tibi non manifestatur promissio, est respectu tui veluti non facta, cum respectu tui necdum in actu secundo significet voluntatem alterius, ergo per eam non sistitur tibi res, ad quam acquireretur jus, debet autem tibi fieri saltem intentionaliter, alioquin non poteris eam ullo modo apprehendere & incipere facere tuam.

780 Q. 119. An acceptatio promissionis debeat esse externa. R. Negat Lugo n. 64. eò quòd possit absens, dum solus est, acceptare promissionem, uti & rem donatam ad se missam, hinc videtur frustra requiri, ut externè significet se acceptare. Rationem dat à priori, quia si promissio sit externè manifestata, jam habetur titulus sensibilis sufficiens pro acquirendo dominio, & acceptatio tantum requiritur, quia nemo cogendus est, ut invitus aliquid acquirat, ad hoc autem ut acquirat non invitus, sufficit acceptatio interna. Econtra affirmat Haun. t. 9. n. 25., quia aliter non censentur duæ illæ voluntates humano modo in unum contractum concurrere, secundum dicta n. 656.; imò Dicast. n. 155. & Platel. n. 600. dicunt requiri, ut quando promissarius fuerat, acceptet promissionem coram nuntio vel per epistolam directam ad promittentem, facturque Lugo n. 82. promissionem revocari possit, quamdiu ejus acceptatio non manifestatur, licet non sit opus hanc iterum manifestari promittenti, secundum dicta n. 659., nam hic tantum debemus debere saltem externè manifestari, aliter non cadet sub commercium humanum, quod requiritur, ut contractum constituat.

Q. 120.